

17

§. 26. *Alium* naturale, quod esse possit caclaver alicujus animalis; cujus pellis agglutinata materia adhuc molli, ubi figuram sibi similem impresserit, ope plastica facultatis, quam in animalium cadaveribus remanere probat testimonio Alberti M. (c) *Admirabile*, dicentis, omnibus videtur, quod aliquando lapides inveniuntur, qui intus & foris habent imagines animalium, foris enim habent lineamenta, & quando franguntur, reperitur in eis figura intestinorum, quae quidem alia ratione convingere non potuerunt, nisi ex animali ibidem in saxum converso; idque omne vi attractiva magnetica salinorum corporum in cadavere latentium, beneficio cujus confluunt, secumque devehunt vim plasticam eis naturaliter insitam. Tandem consumptis flaccidioribus cadaveris partibus figura, corpore in saxum vi lapidifica converso, prodit. Perfectas tamen rerum imagines, non totam saxi substantiam penetrare, sed in superficie tantum haerere notat, fretus lithotomorum testimonio: Quod vero subinde solummodo partes compareant; fieri posse vel ob disrupti cadaveris partes, aut ob materiae fluentis interruptionem.

§. 27. *Alium* ex naturali & artificiali compositum. Fieri posse, scribit, ut quaedam imagines, quas lithotomi s. lapidum fossores in suis casis, pro sua devotione prope lapidum fodinas extructis, habuerint, ibidem relictas; dumque fossas, terrae & saxorum ramentis operirentur, simul in terram projectas fuerint, luto cui involuta, lapidescenti figuram suam impresserint, accedente naturali, quo polleant, magnetismo. Probat repertis in Tyburtinis fodinis variis instrumentis, clavis, palis, malleis fossoriis, quae ferrea primum ibi relictas, tandem post multum temporis spatium, cum saxo coaluerint: It. saxo, cui literae Inscriptionis crucis Christi supra Cap. I. §. 21. appositae, impressae.

§. 28. Has geneses omnes probat experimentis tum suis ipsius, tum aliorum; in primis Equitis Pannii Romani Pictoris, qui arte hac magnum sibi nomen conciliarit, magnisque eandem vendiderit.

§. 29. (IV.) *Imagines lapidum sub quibus se Deus lateat.* e. l. ponit imaginem Christi crucifixi, B. Virginis Mariae. Ortum adferibit admirabili nexui, quo divinae providentiae jungantur, haec ad aliquid significandum directae. Concludit demum, omnes qua-

(c) Lib. I. de rebus metallicis Tr. 2. c. 9. (b) les-